



A D  
**P H A R M A C O L O G I A M**  
 S E U  
**M A N U D U C T I O N E M**  
 A D  
**M a t e r i a m M E D I C A M**  
**A P P E N D I X.**

Pag. 30. Col. 2.



loco ita legat:

Uandoquidem malè cohærent, quæ de *Vitriolo albo* dictæ sunt, quod notæ in Manuscripto confusæ erant, Lector orandus est, ut deleat quæ sequuntur lin. 14. post verbum *translucidum*, usque ad verbum *Vitrioli*, lin. 25. & eorum

Quæ solvunt in aqua, & coquant ad consistentiam Sacchari albi, quod grumis majusculis constabit eidem Saccharo similibus. Quod aëri expositum subflavum externè induit colorem. Ergo errare eos existimat, qui, cum *Tournesortio*, affirmant id factum esse à *Vitriolo Anglico*, in igne reverberatorio donec album colorem obtineat. *Vires.* Cum priore viribus convenit, & præ reliquis usum habet in Collyriis: præparatur quoque ex eo in aqua soluto, & crystallizato, vomitus eximius, qui *Sal Vitrioli* nominatur, *Geoff. Prælect.* p. 106.

H h h

Pag. 72.



Pag. 72. col. 1. lin. 6. adde,

In Itinerario suo per *Muscoviam*, &c. Vol. i. p. 188. *Versionis Anglicanae*, edidit descriptionem & usum, & *Tab. 73.* figuram foliorum, & radicum Plantæ cujusdam, nomine *Rhabbarbari*; sed tam imperfectè, ut dubium sit, an unquam viderit verum *Rhabbarbarum*; nec inde liquet, ad quam Plantarum tribum referri debeat. *Pometius* se nil certo scire de *Rhabbarbaro* fatetur; & describit Plantam, quam *Rhabbarbarum Americanum* vocat, eamque dicit à *D. Toisy* in hortos Gallicos importatam, & in ripa *Rhodani* prope *Lugdunum* etiam nasci: sed utrum hoc sit *Lapathum hortense latifolium*, *C. B. Pin. 115. i. c.* ~~Donks Rhabbarb~~, vel Planta non multum absimilis, quam sub nomine *Acetosi*, ex *Virginia* pluribus abhinc annis misit *Amicus meus Marcus Catesby*, haud constat; sperandum autem est, Plantam, quam ex *Russia* missam nomine *Rhabbarbari* in horto *Physico-Chelseiano* mihi ostendit amicissimus *Isaacus Rand*, ejusdem horti Præfectus, & quæ, ut ex semine patet, ad *Lapathorum* tribum pertinet, patefacturam, quid sit verum *Rhabbarbarum*, de quo tanta inter doctos lis fuit.

Pag. 90. col. 1. post lin. 27. pro secunda specie *Senecionis*, adde:

A. 2. Pseudo-china, *China supposita*, *Offic.* *Senecio Madraspatanus* *Rapi folio*, floribus maximis, cujus radix à nonnullis *China* dicitur, *Pet. Mus. 680. Hort. Elth. 345. Tab. cclviii.* *Senecio Asiaticus Jacobææ folio*, radice lignosa, *China Offic. dicta*, *Commel. Plant. Usu. (ed. 1724.) 94. Ind. Med. xxxv. Catal. Simpl. 9.* *Senecio Sinenfis folio Dentis leonis*, flore aureo, radice crassa, nodosa, quæ *China Offic. Swalve de China Offic. 17.* *Hieracio similis Indiæ Orientalis umbellatis floribus*, radice crassa & carnosâ, *Pluk. Mant. 102. Raii Hist. iii. 140. Parin-Chakka, Act. Philosoph. Lond. N° 274. p. 943. Bassard-China* In Regno *Mallab.* invenitur.

Hæc est Planta, quæ pluribus abhinc annis ad *Societatem Indiæ Orientalis Londini* missa fuit, nomine *Parin-chakka Malab.* à *Samuele Brown*; cujus descriptionem à *Doct. Dillenio* Latine versam, in Horto suo *Elthamensi* hic referam: Hæc planta hoc in loco (*Madraspatam*) vocatur *Radix China*; sed longe differt ab ea, quam *Spinosa* dicitur (i. e.

*Petiver*) *D. Ingram* à multis annis hæctica laborans, eâ curatus est in *Castello Novo*. Bipedali est altitudine, radicem habet *Chinæ* similem. Siquid ulterior experientia suppeditaverit, te certior faciam. Hujus Plantæ specimina a *Societate* supradicta donata sunt *Regiæ Societati Londini*, quæ ea anno 1702. in *Actis suis Philosophicis*, N° 274. p. 943. cum observationibus edidit. Post annos paucos eandem Plantam accepit clarissimus *Gasperus Commelinus*, *M. D.* qui descriptionem vulgavit in *Hort. Medic. Amstellad. Plant. Usual. Catal.* nomine *Senecio Asiaticus Jacobææ folio*, radice lignosa, *China Offic. dicta*, cum sequente nota, *Hanc mecum communicavit Anno 1712. dexterimus Chirurgus Andreas Hummel*, qui illam secum ex *India Orientali* in *Patriam* adduxerat. Hinc Auctores *Catal. Simplicium in Pharmacop. Londin. & Indices Medicamentorum in Pharmac. Parisi.* non rectè, sed improprie *Chinam Offic.* pro radice hujus Plantæ posuerunt.

Pag. 108. col. 2. post lin. 23. adde:

#### X. De *Rhaponticoide*.

*Behen album*, *Geoff. Traſſat. 286.* *Behen album Rauwolfii*, *J. B. iii. 37.* *Been album Rauwolfii*, folio *Lapathi*, flore luteo, & radice longa flexili, *Chab. 448.* *Behmen aliud*, *Park. Theat. 1572.* *Jacea Syriaca spinosa folio laciniato*, flore luteo, *Rauwolf. Itin. Ed. Angl. 231.* *Jacea Orientalis patula*, *Carthami facie*, flore luteo, magno, *Tourn. Cor. 32. Raii Hist. iii. App. 104.* *Serratulæ affinis capitulo squamoso*, luteo, ut & flore, *C. B. Pin. 235.* *Rhaponticoides lutea foliis inferioribus dissectis*, cæteris *Carthami*, *Vaill. Mem. Acad. Scienc. Anno 1718. i. 229.* *White Bean of the Antients.* In Monte *Libani* invenit *Rauwolfius*. In *Asia Minori*, *Tournefortius*. Hujus Plantæ radix, referente *Rauwolfio*, est verum *Been album Arabum*, ideoque in *Officinis* in usu esse debet, sed quum raro in medicina usurpetur, in *Britanniam* non adfertur; ob quam causam in *Officinis nostris* haud occurrit, & tam *Anglica*, quam *Gallica Pharmacopœia*, pro succedaneo aliam substituerunt radicem, de qua supra scripsi, p. 230.

Pag. 111. col. 2. lin. 22. adde:

Hanc Plantam vi pollere purgatrice primo observavit *Cortusus*, quod cum *Clusio* communicavit, qui primum in *Pannoniis*, p. 395. postea autem in



in altera sua *Historia*, p. lxxxviii. id publici juris fecit utroque sub nomine *Hackal Indi*, sive *Admirabilis Peruviana*. Ex quo in *Medicina Pauperum* idem tradidit *Prevotius*. Hujus radix mihi missa fuit ex *Nova Providentia*, una ex Insulis Bahamensibus, nomine *Jalapii*. In hunc errorem incolæ inducti videntur similitudine quadam inter utrasque radices, & vi illius purgante. (Quamquam verò eam in assulas secuerunt, uti *Jalapium*, ex levitate tamen, & substantia radices spongiosa, & ex eo, quod duplex ejus quantitas ad dosim requiratur, differentia discerni possit.) Quibus causis adducti & *Plumerius*, & *Muntingius*, & *Tournefortius*, Plantam hujus *Classis Officinarum* esse *Jalapium* conjecturam fecerunt. Ex illis scriptoribus alii hunc errorem transcripserunt.

Pag. 113. col. 1. lin. 15. post n. 1331. adde :

Quomodo factum sit, ut sequentia Synonyma, &c. hujus Plantæ omiſsa fuerint, mihi latet; nisi quod forſan charta, in qua scripta fuerant, loco, in quo inferenda erant, haud affixa fuit. Quæ igitur ibi omiſſa sunt, hic addas :

*Pareira*, *Ambutua*, *Butua*, *overa Brutua*, *Ind. Med.* lxxxix. *Butua*, *overa Brutua*, *Pianta Indiana*, *Zan. Hist.* 59. *Butua* sive *Pareira brava Lusitanica*, *Geoff. Traët.* 286. *Pareira brava*, *Chom. White Id. Time.* Ex India Orientali à Lusitanis dvehitur. *Usu.* Radix. Magnitudinis est diversæ, cortice fusco & rugoso, substantia interna transversim secta, circulos & fibras habet; gustu subdulcis, cum mixtura amaritudinis parum grata. *Zanoni* figuram Solis in medio radices exhibet; sed hoc merum est figmentum. *Vires.* Hæc radix valde urinam provocat in aqua cocta, & liquor colatus edulcetur cum *Syr. de Quinque Rad. Aper.* Hac medicinâ sanatus esse dicitur Abbas *Bignoni* calculo laborans. Eadem in colicis doloribus hepaticis laudatur. Pulvis in pilulas redactus in Gonorrhæa utilis esse dicitur. *Lusitani* alexipharmacum esse putant; & in angina, & aliis Gulæ morbis utuntur, *Geoff.* Optimum diureticum in hydropicis affectibus existimatur à *D. Tanc. Robinsono*, M. D.

2. *Pareira brava alba*, *Geoff. Traët.* 287. *Pareira* species secunda, *Lochu. Sched.* 32. *The White Id. Time.* Ex Brasilia advecta dicitur. *Usu.* Radix magis lignea quam prior est, cortice albo, sed substantia interna flava est, uti *Glycyrrhiza*. In Officinis nostris usurpari non invenio.

Pag. 161. col. 1. lin. 25. post verbum tollit, adde :

Inter omnes constat, *Monardum* hanc radicem Hispanico nomine *Contrayerva*, i. e. *Alexipharmacum* edidisse. Illius Liber postea à *Clusio* Latine versus est; & ex eo factus est Liber decimus *Exoticorum*, ubi de hoc Pharmaco, p. 113. fusius tractat. Sed vir celeberrimus *Franciscus Drake*, Eques Auratus, à circumnavigatione per orbem rediens in Angliam primum attulisse videtur, & Anno 1581. eam *Clusio* donavit, qui in *Draki* honorem *Drakenæ Radicis* nomine eam edidit in Libro quarto *Exoticorum*, p. 83. affirmans eam *Monardi* *Contrayervæ* valde similem, sed non omnino eandem esse. Hinc *Bauhinus* uterque, & *Dalecampius* in *Hist. Lugd.* diversas esse plantas statuunt; sed *Johnsonus*, *Parkinsonus*, & *Raius* eandem esse agnoscunt. Qualis herba hanc radicem profert, vel prorsus ignotum est, vel falsis confecturis traditum. In *Hernandi Historia*, p. 301. Planta est nomine *Coanenipilli*, seu *Contra-yerva*, cujus *Icon* à *Rechio* addita *Granadillam* exhibet; unde multi illam falsò pro *Contra-yerva* acceperunt, inter quos & ipse, existimans virum in Colonis Hispanis in America diu commorantem haud errasse, ad eandem *Classem* in priore hujus Operis editione eam retuli. Sed postea *Plumerius* in *Nova Genera Plantarum Americanarum*, p. 29. verum *Iconem* floris, fructusque hujus Plantæ primus exhibuit, illique *Dorsteniæ* nomen *Spondylii folio, radice dentata* pro *Contra-yerva*, *Offic.* edidit: & nuperius, vir nuper solertissimus, *D. Gulielmus Houstonus*, qui quidem in istis regionibus diu commoratus est, duas ejusdem speciei Plantas observavit, quarum utriusque radices affirmat pro *Contra-yerva* usurpari. Harum figuræ, & descriptio editæ sunt in *Act. Philosoph.* N° 421. p. 195. Hæc fortasse sunt duo genera *Contra-yervæ*, ex quibus illa, quæ à *Clusio* vocatur *Drakena Radix*, mihi videtur esse *Dorstenia Spondylii folio, radice dentata* *Plumerii*. Cujus Synonymo additur sequens, & altera videtur esse *Contra-yerva* *Monardi*, quæ in officinis etiam invenitur, ideoque potest esse altera *Dorstenia Houstoni*, eam igitur ut Plantam diversam addidi.



P. 168. col. 1. post verbum translaturum, adde :

His, quæ suprascripsi, ut probarem Radices *China*, tam Orientalis, quam Occidentalis Indiarum, esse radices *Smilacis*, & non *Senecionis*, quum argumentum hujus opinionis parum firmum ductum sit ex similitudine inter utrasque radices, & ex eo, quod posterior ad curandam Heëticam Dom. Ingrami semel efficax fuerat; addam, Doctorem Dillenium in *Horto suo Elthamensi*, p. 346. non dubitare, quin *China Officinalis* sit radix *Smilacis*, tam in China Regno, quam Japonia nascentis.

2. Contra-yerva Radix, *J. B.* ii. 741. Radix Contra-yerva Hispaniorum, ut à Baptista Cortesio exhibetur, *Park. Theat.* 1680. Radix venenis adversans, *Clus. Exot.* 311. Cyperus longus odoratus Peruvianus, *C. B. Pin.* 14. *Ejusd. Theat.* 218. Dorsilinea dentaria radice, Sphondylii folio, placenta ovali Houston. *Aët. Philosoph.* N° 421. p. 196. f. 1. *The other Counter-poison.* In Vera-Cruz Americæ invenit Auctor. *Vires.* Cum priore convenit.

Pag. 170. col. 2. lin. 36. post successu, adde :

Ad dysenteriam remedium est singulare specificum & prope infallibile per totam Europam celeberrimum, *Raii Hist.* Hanc autem radicem in diarrhæis sistendis non specificè, vi autem emetica, & cathartica agere; neque singulis istius morbi generibus semper certò mederi, monstravit *Cockbournus*, M. D. in *Aët. Philosoph.* N° 425. p. 385.

In Catalogo Simplicium apud *Pharmacop. Lond.* & à doctissimo *Commelino*, & *Montio*, unius tantum hujus radices mentio fit, & quum fuscum nobis in usu plerumque sit, de ea scripsi loco supra citato. Sed *Pometus* tres species facit, videlicet album, cinereum, & fuscum; uti etiam *Geoff. Tract.* 291. & *Index Medic.* p. lxi. apud quem ultimum *Cinereum* vocatur *Vulgare*, & *Nigrum fuscum* synonymum est. *Jacobus Douglas*, M. D. *Nigrum* asserit esse speciei diversæ à *fusco*, adeoque facit quatuor species, quas distinguit, & sic describit in *Aëtis Philosoph.* N° 410. p. 153. quarum cinerea pluris habetur, sicca magnitudinem pennæ anserinæ adæquat, parte corticali farinacea, extrinsecus subfusca, rugosa, & passim nodosa; medullâ gaudet lignosâ, saporeque amaricanti, minor est Brasiliensis, nigrior, viribusque fortior. Hæc omnia præter *Album*, easdem vires & eundem usum habere putantur, & radices esse ejusdem Plantæ, sed in

diversis locis nasci; ex quo oriri possit diversa facies externa. Quod ad *Album* attinet, *Pometus* id à cæteris distinguit, non solum quod album sit, sicut *Dicamni albæ* sive *Fraxinellæ* radix, verum etiam quod in operatione mitius sit; ideoque, uti scribit, à Lusitanis præfertur, ut magis utile mulieribus gravidis, & infantibus. Hanc puto esse speciem, quam *Tournefortius* donavit nuper *Gulielmo Sherardo*, L.L. D. qui eam clarissimo *Johanni Raio* communicavit, in cujus *Hist. Plant.* iii. p. 350. descripta est his verbis: 'Coloris est flavescens, non geniculata. Hæc species vomitum non movet, sed per sedem solummodo purgat: Hinc arbitror *Album* quorundam esse speciem, quum descriptio & vires ita bene respondeant.'

Pag. 178. col. 2. lin. 25. verbo prædita, adde :

Hujus radix coloris paulo magis rufi est, quam planta genuina, parsque corticalis interior ad lutea rubescentem vergit; multo longior est, pauloque crassior, rimæ magis distant, spatiaque intermedia læviora. Radicem hanc tanquam genuinam multis abhinc annis mecum communicavit *Chirurgus* quidam, qui eam ex Virginia quasi verum *Ipecacuanha* secum transtulit, ubi apud incolas in frequenti usu esse affirmabat. D. *Hans Sloanus*, Baronetus, & M. D. eam ex eadem regione accepit; sed observans usum ejus perniciosum esse, in Introductione sua *Historiæ Jamaicæ*, Vol. ii. p. viii. ix. medicamentum tam periculosum omnino omittendum esse monet, cui medetur *Canna Indica Alexipharmaca*. Et *Jacobus Douglas*, M. D. in *Aët. Philosoph.* N° 410. p. 156. descripsit duas species lethales hujus *Pseudo-Ipecacuanhæ*, viz. albam, & fuscam, quarum utraque allata est ex Marilandia, ubi pro vera usurpatur. *Fuscam* puto esse radicem hujus *Apocyni*; sed cujus Plantæ radix sit *Alba*, nondum mihi constat: ex viribus tamen perniciosis verisimile est, radicem esse alius cujusdam *Apocyni*.

Postquam hæc scripseram, accepi Literas à Pro-nepote meo *Tho. Dale*, M. D. in quibus scribit, plurima genera *Jalapii*, & *Ipecacuanhæ* esse in Carolina Australi; & addit, se misisse ad me fragmenta quædam radices, quæ pro *Ipecacuanha* exportari solet; & vomitum ciet, & alvum movet, in dosi communi, absque ullo effectu malo. Hujus plusquam duas uncias ipse usurpavit: Hæc mihi videtur esse *Pseudo-Ipecacuanha* fusca supra citata.

Varias



Varias Plantas præter eas, quas memoravi, veram *Ipecacuanham* esse censuerunt Americani: Namque Pronepos meus superscriptus anno superiori, viz. 1736. mihi misit radices *Anapodii*; & plusquam viginti abhinc annis *Ulmaria Americana*, &c. pro ea mihi missa est ab amico meo D. *Marcus Catesby*; & eodem pene tempore D. *Isaacus Rand*, Botanicus apprime gnarus, mihi narravit, se ex *Hollandia* eandem Plantam nomine *Ipecacuanha* accepisse.

Pag. 183. col. 2. lin. 3. adde:

Nullum ante C. *Bauhinum* observavi Auctorem radicis hujus purgatricis, quæ circa Annum 1600 in usum venire cepit, mentionem fecisse: Ille quidem in *Prodomo suo*, p. 135. describit nomine *Bryonia*, *Mechoacannæ nigræ*, & ab India transportatam opinatus est: quandoquidem revera est Americæ indigena, unde, uti conjectari licet, ab Hispanis primò fuit allata. Cujusnam Plantæ hæc radix sit, quum *Raius* primum Historiæ suæ Plantarum Tomum ediderit, prorsus erat ignotum; ob vim vero, quæ pollet purgandi, eam inter *Convolvulos* collocavit vir celebris. Tandem verò feliciter reperit *Houston*. *Jalapium* revera esse ejusdem *Convolvuli* radicem, & non *Mirabilis Peruvianæ*, à quo plenior hujus Plantæ expectetur narratio, si mors ejus non intervenierit.

Pag. 223. col. 1. lin. 24. verbo adveherent, adde:

Mihi videtur esse non ex venenata aliqua qualitate in hac *facce*, quicquid Auctor jam citatus erroneè affirmet, sed ex causa politica, ne importatione illius usus *Smalti* impediretur, quod in illo Electoratu factum est. Malignam qualitatem habere *Smaltum* expertum est, uti omnes præparationes ex *Coalto*. Vide supra, p. 32.

Pag. 236. col. 1. post verbum *Lafiteau*, adde:

*Aureliastrum* quinquefolium, folio majus, Ninzin vocatum D. *Sarrazin*, *Act. Philosoph. Lond.* N° 354. p. 705. *Lochn. Comment. de Acriv.* 30. *Ginseng*, *Act. Philosoph. Lond.* N° 337. p. 227. *Nisi*, *Genseng Sinenlium*, *Garen-toguen Hiroquæorum*, *Geoff. Tracl.* 194.

Pag. eadem, lin. 20. adde:

D. *Vaillant* affirmat, hanc Plantam in *Canada* inveniri, ex qua in *Hortum Reg. Parisiensem* à D. *Sarrazino* allata est; uti etiam sequens, quæ in *Marilandia* inventa est, utrùm ab altera differat, præterquam in magnitudine, mihi non liquet.

Observat *Geoffrey* Canadensem *Ginseng* distingui à *Sinenfi*, eo quod non sit tam flava, aut gustu tam amara, sed valde grata. *Usum* ejus in febribus laudat; & addit, saporem illius esse amarulentum, & aromaticum, ostendere eam præditam esse vi attenuante, confirmante, & deobstruente.

2. *Aureliastrum minus*. *Aureliastrum* quinquefolii, folio minus, D. *Sarrazin*, *Act. Philosoph. Lond.* N° 354. p. 705. *Lochn. Comment. de Acriv.* 30. Plantula *Marilandica*, foliis in summo cauliculo ternis, quorum unumquodque quinquefariam dividitur, circa margines serratis, *Raii Hist.* iii. 658.

Inter specimina siccata olim ex *Virginia*, & nuper ex *Carolina Australi*, ad me missa, unum invenio, quod figuram

optime refert; sed quum radice careat, & folia illius inter siccandum haud bene expansa sint, de eo affirmare non licet.

Pag. 251. col. 1. lin. 21. adde:

*Costus Arabicus*, *Ind. Med.* xli. *Costus Dulcis* est, non *Costus Amarum*, uti quidam notavit; neque minus erravit, quum *Costum Dulcem* eundem esse ac *Corticem Winteranum spurium* vel *Canellum album* statuerit.

Pag. 296. col. 1. lin. 40. adde:

Si *Piper Jamaicense*, ut mihi videtur, Americæ sit peculiare, id *Anomum* esse *Plinii*, concedere nequeo, quum *Novus iste Orbis* illius tempore prorsus fuerit ignotus.

Pag. 346. col. 1. lin. ult. n. 297. verbo *Offic.* adde:

*Simarouba*, *Ind. Med.* xc. Hæc radix Planta est *Indiæ Occidentalis*, quæ, secundum *Geoffroy*, *Lignum*



num *Cayan*, levitate sua insigne producit. *Vires*. Radix & cortex ejusdem optima sunt astringentia, & diarrhæis, & dysenteris utilia esse dicuntur, quantitate unius uncie Radicis, aut duarum Corticis, in tribus aquæ fontanæ libris ad unam decoctâ, & pro potu communi usurpatâ.

5. Radix Rinzago sive Bengalensis, *Supplem.* 396. Hæc nuperrime tantum in usum venit. In nullo Plantarum Catalogo aut Pharmacopœia mentionem illius invenio. *Vires*. Pro Cephalico potentissimo laudatur à D. *Tancredo Robinson*, M.D.



INDEX